

Johannes Vorst Andreas Müller

Exercitationes Variae de quibusdam ad Philologiam Orientalem Spectantibus

Rostochii: Richelius, 1653

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730154963>

Druck Freier  Zugang



R 11 plus PC 53
Korbin, J. A.
Müller, A.



A. G. D.
EXERCITATIONES VARIÆ
de quibusdam ad

PHILOLOGIAM
ORIENTALEM
SPECTANTIBUS,

Quas

In Illustr. Academia^â Rostochiensis
cum Consensu Amplissimi Ordinis
PHILOSOPHICI
SUB PRÆSIDIO

Clarissimi, variâq; eruditione Præstantissimi
DN. M. JOANNIS VORSTII,
Fautoris & Amici plurimum honorandi,
DISPUTATIONIS LOCO

Intemeratæ Philologiæ Sacræ Cultoribus
examinandas proponit

Ad IX. Martii diem anni currentis
c1s 1oc LIII.

In Auditorio Majori

ANDREAS MÜLLERUS;

Greiffenhagensis,

AUTOR.



ROSTOCHII

Typis Johannis Richelii, Senat. Typogr.


PHILOGIAM
ORIENTALEM
SPECTANTIBUS

In Illust. Aegidii Bosschii
cum Consensu Augusti Ordinis
Patronatus
SUB PRÆSIDIO

DM. JOHANNIS VORSTII

DE PRÆSENTATIONE
INTEGRÆ PHILOGIÆ ORIENTALIS

ANDREÆ MÛLLERII





παντα εις δοξαν ουε.

Exercitationes Variæ

De quibusdam ad Philologiam Orientalem
spectantibus.

EXERCITATIO I.

Quando Deus religiosè invocari co-
perit?

DE eo expressè quidem loquitur S. Scriptura Cap. IV. Geneleos, ubi hæc extant verba: *וַיִּקְרָא אֱלֹהִים יְהוָה בְּשֵׁם יְהוָה* *v. ultimo.* *Tunc ceptum est,* nempe cum natus esset Enofus, *invocari nomen Jehova.* Verùm alii probare gestiunt ex hoc loco, *idololatriam* tunc temporis apud homines coepisse. Quare verbum *וַיִּקְרָא* in significato *profanandi* accipiunt, hoc modo textum reddentes: *Tunc profanatum est invocando nomen Jehova.* Notum quidem est radicem *קל* in hæc quoq; notatione venire. An verò hoc in loco, disquirendum amplius. Ubi id non videtur. Licet enim concedamus, Lamed h. l. esse pro Bet, quomodo profanari potest nomen Dei invocando? Ait R. Sal. Jarchi: *קראו את שמות הארם ואת שמות העשבים בשמו של הקב"ה לעשותו עו ולקרותו אלהות* *Invocarunt homines & plantas in nomine Dei benedicti idolis serviendo, & Deos alienos invocando.* Sed hanc expositionem non patitur Phrasis *קרא בשם יהוה* *Gen. 12. Psal. 118.* *invocare nomen Domini.* Illa enim in S. Scripturâ pro religio-

sâ invocatione accipitur. Nec ordinarium prædicatum sub-
intelligi potest, id scil. quod invocatum fuit. Dices : Cai-
num & Abelum Deo ante hoc tempus sacra obtulisse, eadem-
qve vice Deum superiis absq; dubio invocasse. Verùm hi
privatim causas suas egerunt. Præsens verò locus intelli-
gendus utiq; est de publicâ invocatione in cœtu, qui sanctos
ab impiis discerneret. Et sic quoq; sentit B. Lutherus. Ad
hæc solent à dissentientibus allegari aliquot, qui ipsis sunt
ὁμοῦ φρονῶντες, ut *Jonathan Usseldes, Saëdus Patricides, Judei Mau-
ritanenſes* in versione Pentateuchi Arabicâ. Verùm si auto-
ritatibus certandum foret, nos vel plures adducere possemus
nobiscum facientes. Adstipulantur enim nobis Græca,
Chaldæa, *Onkelosii*, Syra, Arabica atq; Chaldæo-Samaritana
metaphrâses. Tandem allegare quoq; solent pro se quædam
idola, quæ ante diluvium culta fuerint, quorumq; nomina
Wodda, Savaba, Jagutſch, Iaiiq & Nesra recenset unus *Moham-
med* in *Alcorano*. Sed quæ fides audaci huic *λογισμῶ* habenda
sit propalâm est. Indiscriminatim enim Judæorum, Sabæorû,
Græcorum & Christianorum τὸ ψευδαῦμα nugæ sequitur.
Præterea non negamus ante diluvium fuisse Idololâtras: sed
hoc quod tempore Enosi, aut quod id exdicto loco probari
possit.

Cap. 81.
versionis
latine aut
6. 71. tex-
tus Arabi-
ci & ver-
sionis Gal-
licæ.

EXERCITATIO II.

De oraculo Labanis Syri, quod dicitur

תְּרַפִּים *Teraphim*.

Nulla Gens olim sub primitiva Ecclesia idolis tam foedè
adhæsit, quàm Syri. Undè eorum nomen תְּרַפִּים pro
quibusvis idololâtris sumitur, sicut & postea Græcorum. Ex
illis unus fuit Laban, Abrahami ex fratre pronepos, non mi-
nor Idololâtra. Memoratur enim habuisse quoddam idolum
Teraphim dictum, quod non ab ipso solum sed & ab Jacobo, i-
temq; à Micha & Danitarum exploratoribus תְּרַפִּים appel-
latur,

Genes. 31.

Judic. 18.
v. 5. & 24.

latur, h. e. *ἑταροί*. Nos n. hoc nomen **תרפים** ex eorum número esse putamus, quæ pluralia tantum sunt secundum formam sed tamen singularia quoque; secundum significationem. Unum enim tantum *idolum* Laban videtur habuisse, quid plurimum tam commodè occultare potuisset Rahel. Et quid pluribus ejusdem modi idolis Laban opus habuisset? Quale autem fuerit hoc idolum, obscurius paulò videtur. Plurimi imagines fuisse dicunt, ut *Chaldaus, Lutherus, Judæi Mauritanenses, Græci*. Sed hæ voces imago, *εἰκὼν, εἰδωλον, צלמון, פסל* generales sunt. *Abraham Esra* idem dicit fuisse **צורת כני אר** imaginem hominum. Alii imaginem, nescio, cujus animalis. Sed hujusmodi Idola subvariorum animalium imaginibus confici potuerunt, ut liquet ex historiis. Helvetius quidam *Johan. H. Hottingerus* nomine, dicit hæc Idola esse illas ipsas Arabum *Tilfemas*, seu ut *Scaliger* pronunciat, Talifmas. Verum id simpliciter affirmari non potest. Nam Talifmarum duæ aut etiam plures fuisse species, constat vel ex verbis *Maimonidæ*: *Atq; hæc est species imaginum quas Arabicè **טרפס** appellant*, quæ *Hottingerus* ipse adducit. Prima species, Græcis *σοῦχῆια* dicitur, Avertuncorum Deorum & Amuletorum vires sustinuit. Deq; eâ *Scaliger*. Altera, quæ vel hominum vel animalium imagines habuit & responsa dedit quærentibus. Et ad hanc pertinent **תרפים**. Quod enim ea imaginem hominis habuerint, constat ex I. Sam. XIX. Quod responsa dederint, patet ex Ezech. XXI. Zach. X. & ex Judic. XVIII. Ubi Danitarum exploratores ad sacerdotem Michæ ajunt: *Interroga, quæ sumus, Deum seu idolum, ut sciamus, an prospera futura sit via nostra, quam nos tendimus*. Sed vulgò duæ hæ species confunduntur: Etiam à Judæorum magistris, qui dicunt **תרפים** certis temporibus confici, quod de primâ saltim specie verum est, ut patet ex his quæ *Scaliger* de hac materiâ scripsit. Sunt igitur **תרפים** ex oraculis illis, quæ *αὐτόματα* dicuntur, & *τῶν ἑταροῦν* [qualia fuere *Ammonius Jupiter* apud *Curtium* & *Bel* *Babylonius*] contra distinguuntur.

In Histor. Oriental. lib. 1. cap. 8.

1. Sam. 19. v. 13. & 16. Ezech. 21. v. 26. Zach. 10. 1. Jud. 18. 5.

Hinc veri-simile est, hoc nomen apud Hoseam [sicut in bo-
nam utiq; partem sumitur] poni pro קור פת seu oraculo
ill'o Divino, qv'od successit prophetiæ, & cujus exempla qv'oq;
extant in Novo Testamento. Sic enim Dominus per Pro-
phetam: *Multos dies erunt Israelitæ absq; Rege, absq; Principe,*
1. Sam. 14. *absq; sacrificio, absq; altari, absq; amiculo, & oraculo.*
v. 15. *Ubi pro A-*
miculum, seu פתרון primum oraculorum genus Urim & Thym-
mim indicari videtur. Superinduebatur enim pectorali cui
applicatum erat Urim & Thymmim. Per אור פת oraculum post
prophetiam absq; dubio intelligitur, ut jam dictum. Hinc
2. Sam. 18. *exponunt illud Græci δῆλας, ceu ipsum Urim ab ipsis expo-*
nitur lib. I. Samuelis.

EXERCITATIO III.

De Phrasi אכר קרצ *Comedere acco-* *sationem, qvæ extat Danielis III. & VIII.*

Inter multas alias S. Scripturæ tum dictiones tum Phrases,
qvæ non nisi ex Syrà, Arabicâ, Persicâ, Ægypticâ, imò Æ-
thiopicâ linguâ dextrè explicari possunt, & hæc locutio insi-
gnem locum obtinet, pleniori consideratione non indigna.
Deprehendimus enim in ea evidentem Persissimum. Quid a-
lii de illâ judicaverint, satis notum est. Neq; quisquam cer-
tus esse potuit. Prima vox *Edendi* significatione notissima
est. Posterior *calumniam* significat. Sed si jungantur utriusq;
significata ineptus sensus nascitur in L. Latina. Chaldæi qui-
dem in Paraphrasibus suis frequenter hanc Phrasin usurpant.
Sic & Syrus N. Test. Interpreter, qui inde Diabolum אכר קרצ
appellat, hoc est, *Calumniatorem & traductorem.* Sed & Ara-
bes dicere solent اكل العر pro *detrahere.* Nos verò
Persissimum hic latere putamus, qv'od non solum hæc Phrasis,
sed & aliæ multæ ejusmodi in linguâ Persicâ, inq; aliis non i-
tem, occurrant, in quibus verbum *edendi* tam varios signifi-
catus

catus obtinet, ut non solum vulgatum suum amittat, sed & nullum certum habere possit. Sic dicunt Persæ **خون دن** * *calumniari*, **سو کندن خون دن** † *jurare*, **خون دن** * *maestum esse*, **خون دن نی خون دن** † *edere*, ubi hæc nomina, *calumniā, juramentum, maestitia, cibus, verbum edere* secum habent. Et quid de hac locutione censendum, cum dicitur **خون دن** * *comedere vinum*, pro *bibere vinum*? Sed non hoc verbum solum, verum & alia apud Persas eodem officio funguntur, adeo, ut crebro inter se permutentur. *Franciscus* quidem *Raphelengius* putavit Idiotismum esse in totâ phrasi, & accipit vocem **فروخته** pro *frusto*, ut: *edere frustum alicujus sit eum calumniari*: Sed aliud docent citata exempla; iisq; multo plura.

* *hist. Chr.*
Persica
 pag. 149.
 † pag. 227.
 229. 420.
 &c.
 * *hist. Pertri Persic.*
 pag. 77.
 † *H. Christi*
 pag. 521
 * *Hist. Pertri* pag. 19.
 & 21.

EXERCITATIO IV.

De Conjugatione Niphal,

Illa Conjugatio, quæ Niphal dicitur, ab omnibus ferè Grammaticis, pro passivâ primæ Conjugationis habetur. Quod verò hoc ita se habere nequeat, subindicat character ejus; qui est **נִפְּל**, Et Character Conjugationis primæ, quæ est simplex. Jam verò passiva Conjugatio eundem habet Characterem, quem Activa ejus, mutatis saltim vocalibus, ut in **פָּקַר** & **פָּקַרְתָּ** idem Character est, nempe Dagesch mediæ literæ; in *Hiphal* & *Hophal* idem Character est, nempe He ab initio. Conferantur omnes XIII. Conjugationes Arabum, & VI. Æthiopum, & res erit clarior. Syri & Chaldæi, cum vocales non mutant, præponunt passivæ formæ syllabam **נִפְּ** vel **נִפְּל** juxta Axioma de vocalibus homogeneis. Sic itaq; Conjugatio *Niphal*, quæ He Characteristicum in Præterito & Participio amittit [nam in futuro non amittit; in Infinit. & Imper. expressè ponitur] pertinet ad sextum ordinem Conjugationum, qui apud Arabas & Æthiops eundem Characterem habet.

EXER-

EXERCITATIO V.

Quomodo Esras dicatur סופר מהיר *Sopher Mabîr.*

Vocabulum *Mabîr* communiter à R. מָהִיר deduci solet, quatenus significatum *festinandi* habet. Unde Esram scribam festinum vel velocem dictum volunt. Nos cum *Matth. 13. v. 52.* *γραμματαμθητευθέντα*, seu peritum & exercitatum legis Doctorem Hebraicè dici arbitramur, cum סופר מהיר appellatur. *Matth. 22. Luc. 10.* *Sopher* enim seu *γραμματαύς* non solum publicum scribam, sed & legis peritum significat, ut ex N. T. passim patet. Adjectivum verò *Mabîr* ad eandem quidem radicem pertinet, sed, ut multæ radices varia habent significata, in eadem dialecto: ita ex Æthiopica lingvâ, quæ orientalis quoq; est origine, commodissimè explicari potest. Ibi enim eadem radix מָהִיר in *prima Conjugat.* significat *docere*, in *II. discere*. A quibus etiam hæc nomina *ΜΑΙΩΣ* Doctor & *Γ.Β.Υ.Ε.Γ.* doctrina derivantur. Ansam rimandi dedit Rab. Sal. Jarchi qui scribit: ראיתי ביסודי של ר' משה הדרשן מהיר בלע בקי *In Comm. ad Psalm. 45.* *Vidi in libris R. Mosi cognomine Concionatoris Mabîr Arabicè significare probatum & exercitatum.* Et ita quidem est. Nam Arabicum *مهاير* ita redditur à *Victorio Scialac* & *Gabriele Sionita* in versione Psalterii Arabici. Syriacum item מהירא à posteriori sic exponitur in Psalterio Syriaco. Sed *Erpenius* & *Schindlerus* vulgatam interpretationem hujus nominis sequuntur. Vid. *Esaia XVI. 5. Psam. XLV. 2.*

EXERCITATIO VI.

De divinis V. T. Oraculis.

Præterquam quòd Deus olim Patribus invisibilitet apparuit, locutus est quoq; cum iis invisibiliter. Et sic iterum

πλν

πολυτρόπως καὶ πολυμερῶς, ut Apostolus loquitur. Primum
 enim per *Urim & Thymnim*, deinde per *Spiritum S.* mox per
prophetiam & tandem per ⲓⲣⲓⲛ seu vocem cælitus demis- Hebr. 1. 1.
 sam populo suo responsa dedit, & voluntatem iis patefecit.
 Quæ quidem *Oracula* seu ⲕⲉⲣⲓⲛⲉ appellare nunc liceat, voca-
 bulo sacris scriptoribus non ignoto. Quid *Urim & Thymnim*
 sit, investigari vix poterit. Hoc tamen patet ex sacris literis,
 quò pectorali seu rationali iudicii applicatum fuerit, & quòd
 summus Pontifex responsa per id dederit. Quemadmodum
Saulus ad Achiam, de quo antea dictum erat, quòd Ephod seu
ⲉⲡⲱⲙⲓⲃⲁ portasset, ait: *Adduc arcam Dei.* At hoc Oraculum
 in primo saltem templo fuit. Tempore captivitatis enim
 potissima V. sacra Templi primi perierunt, ut *Ignis cælestis*,
Arca, *Oleum Unctionis*, *Spiritus S.* & hoc sanctissimum Oracu-
 lum, sicut extat in *Gemara Hierosolymitana Cod. Maccot*, quam
Seldenus allegat. Et quanquam sub II. Templo aliam hujus
 Oraculi figuram fecerint, id tamen non consuluerunt, sed
 ideò saltim habuerunt, ut numerus indumentorum Pontifi-
 ciorum perfectus esset, sicut *Majemonides* testatur. Quod vo-
 cabuli sensum attinet, & ille maximè dubius est. Nam vul-
 gares singularum vocum notationes locum non habent. Vi-
 dendum ne initiales literæ ⲛ & ⲛ aliquid designent, sicut *A*
 & Ⲟ Johannis Theologi. Destructo templo primo succes-
 serunt huic oraculo alia quæ dicuntur *Spiritus Sanctus* & pro-
phetia. Quid hæc nomina significant, & quomodo ab invi-
 cem distingvantur, malumus ipsius *Davidis Kimchij* verbis ex-
 ponere. Sic itaq; ille in præfatione ad *Psalmos* scribit: Et
 explicabimus nos breviter, *discrimen*, quod est *inter prophetiam*
 & *Spiritum S.* PROPHETIA EST, cum res aliqua venit ad
 hominem, sapientem, moribus integrum. Venit autem
 prophetia ad eum in *somnio*, quòd si verò *vigilanti* alicubi ob-
 tigerit prophetia, facultates ejus sensibiles cessant, iisq; ab o-
 mnibus mundanis negotiis abstrahitur, videturq; aliquis in
visione prophetica secum loqui aperiens ei hoc vel illud. Aut
1. Sam. 14.
v. 3. 18.
conf. Num
27. v. 1.
2. Macc. 1.
v. 18.
Lib. 2. de
success. in
Pontif. c. 9
In Tract.
de sacris
Vasib. cap.
X. citant.
Seldeno
l. d.

B

videt

videt species in tali visione, aut non videt species, sed audit
 22 *vocem* secum loquentem. SPIRITUS S. verò est quando ho-
 23 mo integer rebus divinis, occupatus, omnibus suis faculta-
 24 tibus salvis manentibus, loquitur quod loquitur more reli-
 25 quorum hominum, sed excitatur à Spiritu excelso & illumi-
 26 natur lingua ejus, ut laudem & gloriam Deo suo dicat, profe-
 27 ratq; verba intellectus & disciplinarum. Adeoq; etiam ali-
 quando adiutu Dei futura prædicit. Ita Kimchius. Ex qui-
 bus patet in prophetia sensus amitti: In Spiritu S. non item.
 Et hinc est quod Judæi sacram scripturam V. T. distinguant
 in legem Moſis, Prophetas, propriè dictos scilicet, & inter ha-
 gographa, per Spirit. S. à S. Viris Davide, Salomone & aliis
 edita. Licet hi quoq; futura prædicant, ipſo Kimchio teste.
 Prophetiam quadruplicem facit. Primam in ſomno, ſecun-
 dam in viſione, quanquam Abrabniel has nihil differre velit:

Num. 12 6 Huc pertinet id quod DOMINUS ait: *In viſione notum me,*
conf. Joël. faciam illi; in ſomno loquar cum eo. Et hujusmodi exempla
 2. v. 28. habemus quoq; apud *Matthæum* in historia de Magis. Et in
Act. 2. 17. Genesi in Labane atq; Abimelecho, licet hæc ſomnia prophetica
Matt. 2. 12 dici non poſſint. Nam ſic quoq; antè *Urim,* & poſt *Barkol*
Hebr. 11. fuiſſet prophetia. Quod verò de *Nohâ* legitur, quòd Oracu-
 lo admonitus arcam condiderit, huc non facit. Nam

Genus 22. 17. latiffimè ſumitur. Præterea videtur vocabulo
 QN in ſacra ſcripturâ indicari allocutionem propheticam,
 altero verò QN allocutionem præſentis Dei. Tertio dicit
 Kimchi prophetiam vigilantem de die accidere. Et hæc ſum-
 ma atq; Angelica à Judæis vocatur qui ſoli Moſi eam tribu-
 unt, allegantes illud ex *Numerorum cap. VII. Et venit Moſes ad*

Majemo- tentorium conventus, ut loqueretur cum Deo, & audivit vocem ſe-
nides De fundam. cum loquentem. Porrò Oraculum IV. quod prophetiæ poſt
Legis cap. 7 §. 6. tempora Malachiæ, qui ſigillum & ultimum Prophetarum dicitur
 (tunc enim ablatus Spiritus S. ab Iſraele, ut extat in Codice,
 de *Synedriis* cap. I.) ſucceſſit, dicitur *וּקוּל בַּתְּרֵיבָה* vox cælitus dimiſ-
 ſa, ſed ſine ſenſu alienatione, quæ in prophetiâ accidit. Qvi-
 dam

dam vocis *filiam* exponere malunt, nodum in scirpo quæren-
tes, ut probent, eam obscuram saltim fuisse vocem, qualis
Græcorum ἡχώ seu Judæorum קול הברר. Sed notissi-
mus est idiotismus vocabuli וְ & fœminini וְ quod ple-
rumq; stent loco *articuli prepositivi*. Unde He articulare post
illa rarò sequi solet, adeò, ut *Barkol* nihil aliud sit, quàm
ἡ Φωνή vox scilicet aliqva à communi voce distincta, quod
vult *Articulus*. Unde non opus est quærere: An vox illa
cœlestis obscura fuerit, an verò articulata? Et utiq; articula-
ta fuit, si intelligi debuit. *Exempla* ejus in N. etiam T. ha-
bemus, *unum*, cum Simeon de mox venturo Messia respon-
sum accepit. *Alterum* in historia de baptisatione Christi
XVII. *Tertium* de Conversione Pauli. *Quartum* Joh. XII. Luc. 2.
Tandem verò & hæc vox desit, ut solo verbo revelatæ con-
tenti simus, usq; dum redeat Israel ad verum Messiam. Hæc
enim expressè prædixit Hoses his verbis Cap. III. **MULTOS** v. 3. & 4.
DIES ERUNT *Israelitæ absq; Rege, absq; Principe, absq; sacrificio,*
absq; altari, absq; responso divino & voce cœlesti. Postea verò qua-
rent *Israelitæ Dominum Deum suum & Davidem Regem suum, & re-*
verentur ad Dominum & ad bonitatem ejus temporibus ultimis. Ita
Hoses. Ipsum verò *Barkol* aliàs quoq; sumitur pro *qualibet*
voce, ut Gal. IV. 20. Rom. X. 18. in Syriaca versione, itemq;
pro *Oraculis Gentilium* ut Act. XII. 2.

EXERCITATIO VII.

An Lingva Latina & Germanica sint ex Hebræa? Et de Origine L L. suc- cineta narratio;

Passim legimus ab eruditis viris tot vocabula, non solum
Græca sed & Latina, Germanica & alia ex linguâ Hebræâ
derivari. Cujus nulla videtur alia ratio, quàm quòd autu-
ment

Exercit.
269. sect. 1.

*July 1801
to 1801
Litt.*

ment omnes aut plerasq; lingvas quæ unquam floruerunt & adhuc florent, in Babylonica lingvarum confusione cœpisse. Verum id probari nequit ex textu, nec quoquam scriptore primorum seculorum. Quin imò contrarium docet Historia. Nos facimus cum iis Judæis cum quibus Julius Cæsar Scaliger. Ajunt autem illi, species priorum significationum delatas, novasq; intro ductas fuisse. Ad quæ Scal. Maxima, inquit, incidit occasio subtilitatis. Nam si lapidem petenti aliud, multi multa, diversa omnia afferebant: videretur unius soni modus in varias species deductus, diversis mentibus sese insinuasse. Una igitur alla prisca adhuc extaret lingua; varii verò significatus: *Hec ille.* Sed & insuper certum est, lingvas non fuisse ante suos suarumq; gentium conditores. Sic quomodo lingua Arabica potuit esse in confusione Babylonica, cum Jostan Arabum ~~regnum~~ nondum fuerit. Quomodo verò Latina, quæ ex Græcâ originem ducit? Hôc ergò sensu accipimus illud *Hieronym:* *Linguam Hebraicam esse omnium Linguarum matricem*, ut dicamus eâ propterea sic dici, quòd fuerit omnium prima, & ex eâ confusio facta sit. Qui autem ex X. Geneleos cap. septuagenarium ant majorem lingvarum numerum probare volunt, eorum sententia jam dudum explosa est. Et quomodo omnes, qui ibi recensentur, peculiari lingvâ loqui potuerunt, cum non omnes apud turrim Babylonicam fuerint? Ne tangamus, neminem sociorum sermonem ita intelligere potuisse. Plus dicunt qui singulas saltim familias singulis locutas fuisse volunt. Et, ut hoc verisimile sit, id tamen insuper observamus, eas gentes, quæ Asiam occupare debuerunt, unius linguæ dialectis usos fuisse, quæ Africam, unius quoq; itemq; quæ Europam, unius. Ita ut tres saltem sint linguæ generalissimæ: Hebræa, Ægyptia, & Scythica. Ad eas namq; omnes cœteræ & dialecti referri possunt, quæ nempe in Africâ, ad Ægyptiam, quæ in Asia, ad Hebræam, quæ in Europâ ad Scythicam. Si modò attendatur, Persicam ex Europa & Æthiopicam hodiernam.

ex A.

Bochart.
lib. 1. Pba.
leg. c. 15.
p. 60.

ex Asia traductam esse. Et quod multæ lingvæ sint mixtæ, ut Hispanica ac Persica. Neq; est quod obijciatur, in lingua Græca multa esse vocabula Hebraicæ originis. Nam ea vocabula ab Hebræis faltem desumpta sunt, non ipsorum radices. Ex radicibus verò diversitas & convenientia linguarum constare potest. De Americanâ nunc nihil agimus. Quod a. § *Franciscus Janius* scribit Armeniam & Persicam linguam Hebrææ esse conjunctissimas, ex superioribus facile dijudicari potest. Sic neq; rem tetigit § *Abrahamus Mylius*, cum has quatuor lingvas: Hebræam, Græcam, Latinam & Germanicam, cæterarum omnium matriculares esse putat. Nam quomodo id constat de tribus posterioribus, quæ in conf. *Babyl.* non fuerunt? quomodo de *Latina*, quæ aperte ex *Græca* est? Quomodo ad has reduci potest *Ægyptia*, ut ait, &c. Unum saltem addamus de lingua Germanicâ. Hanc quidam à Persica, alii hanc ab illâ originem sumpsisse contendunt. Nos neutrum dicimus, sed utramq; ejusdem originis esse, licet & hoc *Joseph Scaliger* atq; *Sam. Bochartus* planè negent. Certè non accidentaliter esse potest, tanta utriusque lingvæ convenientia, quæ utiq; tantò major foret, nisi ambae successu temporis maximoperè degenerâssent, multa peregrina assumendo vocabula. Sic itaq; utriusq; lingvæ convenientia (de qua etiam eruditissimi literatorum * *Lipsius*, † *Salmasius*, † *Elichmannus*, * *Ludovicus de Deo*, § *Bartholom. Meyerg.* § *Buxtorfius*, † *Drusius*, § *Boxhornius*, * *Mylius*, § § *Hortingerus* abunde testantur.) in hisce consistit. I. in communitate multorum vocabulorum. Sic enim *Pâdar*, Germ. notat Patrem, *Mâdar* matrem, *Borâdar* Fratrem, *Doctar* filiam, *Nâm* nomen, *Chodâ* Deum, *Casî* Cistam, *Naw* Novum, *Mab* Lunam, *Sitârab* Stellam, *Corbas* Cucurbitam, *Ast* est, *Wâj* Vx, *Namând* neminem, *Nab*, non, *Câb* paleam, *Darug* fallaciam, *Câw* Vaccam, *Bibter* meliorem, *Ondar* inter, *Du* duo, *Bâk* tympanum, *Tute* & tuum, *Men* me & meum, *Dar* Januam, *Gâst* hospitem. *Tondor* tonitru, *Leb* labium, *Nâf* umbilicum,

B 3

Bostar

§ *In præf. Gramm. Hebraic. In lingua Belg. cap. 2. § in add. ad b. cap.*

§ *Mylio. L. B. cap. 24. Beccanis in orig. Epist. 228. lib. 1. Phal. c. 15. p. 69.*

* *Centur. 3 ad Belg. Epist. 44. † Præf. In tab. Ceb. Arab.*

† *Ibidem. Anim. in V. T. p. 258. § de LXX. hebdom.*

§ *Lex Syr. pag. 52.*

† *Fr. V. J. G. p. 925.*

§ *Diff. de conv. voc. Græc. Lat. Germ.*

* *L. Belg. § H. Oriem*

Boslar eulcitram, *Band* vinculum. *Jug* Jugum, *Dandden-*
tem &c. II. *In forma comparativi*, qui utrobique; definit in ER,
 خردتر brevior, خوشتر dulcior &c. III. *In forma*
infinitivi, qui utrobique; definit in EN, ut *Sâzden sâzen*/ *Kbiristen*
fere, *Kbiristen* apprehendere. IV. *In formis quorundam no-*
minum, ut quod substantiva si adjectiva fiant, assumant in
 fine, utrobique; eandem formam, ut *Nabmwâr*, *ὄνομα εὖδος*, *Achaf-*
wâr, magnificus. *Mijuwâr* fructifer &c. V. *In Compositioni-*
bus duorum substantivorum, utrobique; enim constructum præpo-
 nitur regenti. VI. *In peculiaribus loquendi modis*, ut quod duæ
 negationes habeant vim fortius negandi. Sic dicunt Persæ
 او نه هیچ نه دان. Sic & Germani: *Er hat niches nicht ge-*
geben. Et id neque; Græcis inusitatum est. Atque Latini con-
 trario modo loquuntur: nisi quid Corn. Nepos dua-
 bus quoque; negationibus aliquid affirmet in *Neget*.
Iphicrate & *Timoleonte*.



Ad



Ad Ornatisimum
DN. RESPONDENTEM.

Ingenii monumenta Tui dum pandis, *Amice,*
Quæq; Ebraus, Arabs, quæ Syrus verba notanda
Suggestit, è cathedrâ proprio conamine dictas,
Gratulor. Haut fallat Te vel persona תרפים,
Non אכלקראצא lædat, nec fascinet unquam.

M. Christianus Arndius,
Log. Professor.



Rem prudenter agit studiis devota juventus,
Quod voluit crebrò publica scripta Sophùm.
Hòc etenim nisi fructus sibi comparat amplos,
Comparat et sacro commoda magna Gregi,
Hac tu perpendens recum, suavissime Amice,
Publica scripta Sophùm nocte dieq; legis.
Præsens hoc scriptum sapientum dogmate plenum,
Testatur, sibi quod Balthica Musa probat.
Qui præsentæ Theses defendis voce disertâ,
Laude refers palmam, victor abisq; bonus.
Volvere sic libros Sapientum pergito porro,
Pro nisu tanto commoda multa ferēs!

Sympatriotæ & Amico suo dilecto,
Dn Andrea Möllero, Respond. celeri
calamo gratul.

M. Adamus Seidenschwantz,
Scholæ Senat. SubR.

Ad Praestantissimum Dn. RESPONDENTEM,
harum Exercitationum Autorem,

PRÆSES.

Vulgus amicitias jungit, si nidor eosdem
Idem delectet, si dulcis poela Lyæi.
Nos operæ ac studii junxit cognatio; quis sit
Lingvarum genius quòd scire laborat uterq̃.
Hic tenor, hæc morum concordia pergat, amice,
Amplius & studiis nos oblectemus iisdem.

Quid varias profic linguas novisse palàm das,
Ex variis linguis dum multa obscura resolvis.
Res ea grata mihi; patriæ res grata, Deoq̃.
Felicis hic successus dabit, istaq̃ parces,
Ipse applaudo, Tui consummaturus amorem.

Godofredus Jülichius,
Greiffenhagensis Pom.

Scire nihil nostrum dicunt fore, nî sciat alter;
Quæ tu scire velis, Themata sacra docent.
Perge velut pergis, laudes servaq̃; paratas,
Laudabuntq̃; animum sic magis atq; magis.

Amico maxima existimationis addid.

Daniel Crusius,
Greiffenhagensis.

Re : pu

ex Asia traductam esse. Et quod mul-
 ta Hispanica ac Persica. Neque est quod
 Græca multa esse vocabula Hebraica or-
 cibus ab Hebraeis saltem desumpta fun-
 ces. Ex radicibus verò diversitas & &
 rum constare potest. De Americanis
 Quod a. *Franciscus Janius* scribit An-
 linguam Hebraicam esse conjunctissimas, e-
 dijudicari potest. Sic neque rem tetigit
 cum has quatuor lingvas: Hebraicam,
 Germanicam, cæterarum omnium mat-
 Nam quomodo id constat de tribus p-
 conf. Babyl. non fuerunt? quomodo de
 Græca est? Quomodo ad has reduci p-
 & c. Unum saltem addamus de lingua
 quidam à Persica, alii hanc ab illâ origin-
 dunt. Nos neutrum dicimus, sed utra-
 esse, licet & hoc *Joseph Scaliger* atque
 negent. Certè non accidentaliter esse po-
 lingvæ convenientia, quæ utique tantò m-
 successu temporis maximopere degen-
 grina assumendo vocabula. Sic itaque u-
 nientia (de qua etiam eruditissimi litera-
masius, † *Elichmannus*, * *Ludovicus de Deo*,
 † *Buxtorfius*, † *Drusius*, † *Boxhornius*, * *My-*
 abunde testantur.) in hisce consistit.
 torum vocabulorum. Sic enim *Pâdar*,
Mâdar matrem, *Borâdar* Fratrem, *Doc-*
men, *Chodâ* Deum, *Cast* Cistam, *Naw* N-
Sitârab Stellam, *Corbas* Cucurbitam, &
mând neminem, *Nab*, non, *Câb* palea
Câv Vaccam, *Bibter* meliorem, *Ondar*
 tympanum, *Tute* & tuum, *Men* me & m-
Gâst hospitem. *Tondor* tonitru, *Leblabin*

B 3

mixta,
 linguâ
 ea vo-
 n radi-
 lingva-
 gimus.
 rificam
 s facile
 Mylius,
 nam &
 utat.
 quæ in
 pertè ex
 ut ait,
 Hanc
 onten-
 riginis
 s planè
 iusque
 ambæ
 a pere-
 conve-
 s, † *Sal-*
Meyer.
ingerus
 te mul-
 atrem,
 m no-
 unam,
 æ, *Na-*
 aciam,
 o, *Bûk*
 uam,
 licum,
Boftar

† *In pref.*
Gramm.
Hebraic.
In linguâ
Belg. cap. 2
& in add.
ad b. cap.
 † *Mylio. L.*
B. cap. 24.
Becanus
in orig. E-
pist. 228.
lib. I. Phal.
c. 15. p. 69.
 * *Centur. 3*
ad Belg. E-
pist. 44.
 † *Pref. In*
tab. Ceb.
Arab.
 † *Ibidem.*
 * *Anim. in*
V. T. p. 258
 † *de LXX.*
hebdom.
 † *Lex Syr.*
pag. 52.
 † *Fr. V. J.*
G. p. 925.
 † *Diff. de*
conv. voc.
Græc. Lat.
Germ.
 * *L. Belg.*
 † *H. Orie.*

the scale towards document

